N.° 21. 1534. seu f.

Indultum Pontificium ad favorem Dnę Elisabeth,
et Magdalenę, Astorgij, et Vincentij de Sancto Petro,
Antonię, et Matthęi de Pasellis, et Camillę de Bentuolis,
continens multas gratias, et privilegia spiritualia.

BEATISSIME PATER

Ut animarum saluti devotarum oratricum et oratorum vestrorum Elisabethe de Sancto Petro, Anthonie de Pasellis, Magdalene de Sancto Petro, Astorgii de Sancto Petro, Vincentii de Sancto Petro dicte Elisabethe filiorum, necnon Camille de Bentivolis ac Mathei de Pasellis, ac cuiuslibet eorum Bononien. dioc. salubrius consulatur, Supplicant humiliter sanctitati vestre oratores prefati quatenus eis specialem gratiam facientes, ut confessor idoneus secularis vel cuiusvis ordinis regularis presbyter quem quilibet eorum duxerit eligendum, eos a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, ac votorum quorumcumque iuramentorum mandatorum ecclesie et ieiuniorum transgressionibus, manuum violentarum in quasvis personas ecclesiasticas non tamen prelatos de preterito iniectionibus, ieiuniorum homicidiorum mentalis vel casualis reatibus, penitentiarum eis iniunctarum horarumque canonicarum et aliorum divinorum officiorum omissionibus, omnibusque aliis et singulis eorum peccatis criminibus excessibus et delictis quantumcumque gravibus et enormibus de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, etiam si talia forent propter que sedes apostolica merito foret consulenda, de reservatis videlicet exceptis contentis in bulla cene domini, de aliis vero non reservatis dicte sedi casibus totiens quotiens opus fuerit absolvere et penitentiam salutarem eis iniungere, vota vero quecumque ultramarina visitationis liminum apostolorum Petri et Pauli de Urbe atque Jacobi in Compostella necnon religionis et castitatis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare et iuramenta quecumque sine iuris alieni preiudicio relaxare, ac semel in vita et in mortis articulo plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum remissionem et absolutionem impendere auctoritate apostolica possit et. Liceatque oratorum cuilibet vero nobili vel graduato habere altare portatile cum debitis honore et reverentia, super quo in locis ad hoc congruentibus et honestis etiam non sacris et ecclesiastico interdicto auctoritate ordinaria supposito, dummodo causam non dederint huiusmodi interdicto et per eos non stet quominus executioni demandentur, ea propter que appositum fuerit huiusmodi interdictum, etiam antequam elucescat dies circa tamen diurnam lucem, per proprium aut alium sacerdotem idoneum in sua et familiarium suorum domesticorum presentia missas et alia divina officia celebrari facere, atque tempore interdicti huiusmodi illis interesse ac Eucharistiam et alia sacramenta ecclesiastica preterquam in Paschate et sine rectoris preiudicio recipere, ac ubi decedentium eorundem oratorum corpora ecclesiastice possint tradi sepulture, sine tamen funerali pompa, necnon ut unam vel duas ecclesias aut duo sive tria altaria in partibus ubi singulos oratores pro tempore residere contigerit, quamquas vel que quilibet eorum duxerit eligenda, singulis quadragesimalibus ac aliis diebus et temporibus stationum Urbis Rome cuiuslibet anni devote visitando, tot et similes indulgentias et peccatorum suorum remissiones consequatur quas consequerentur si singulis diebus eisdem singulas Urbis et extra eam ecclesias a Christifidelibus propter stationes huiusmodi visitari solitas visitarent. Preterea eisdem quadragesimalibus ac aliis diebus et temporibus prohibitis ovis butiro caseo lacticiniis et carnibus de utriusque medici consilio uti et vesci sine conscientie scrupulo. Ceterum ut mulieres quelibet unacum tribus aut quatuor aliis honestis mulieribus quater in anno quecumque monasteria monialium cuiusvis etiam Sancte Clare ordinis de illius presidentium licentia ingredi et cum eisdem conversari ac refectionem sumere corporalem, dummodo ibidem non pernoctent, possint et valeant licentiam et facultatem concedere et indulgere dignemini de gratia speciali. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Et de reservatis semel in vita et in mortis articulo premissis exceptis
Et de non reservatis huiusmodi sedi casibus totiens quotiens opus fuerit ut supra
Et de commutatione votorum et relaxatione iuramentorum ut supra
Et de plenaria remissione et absolutione semel in vita et in mortis articulo
Et de altari portatili cum clausula ante diem et in locis interdictis ut supra
Et quod tempore interdicti corpora eorum ecclesiastice possint tradi sepulture
Et de indulgentiis stationum Urbis visitando ecclesias vel altaria ut supra
Et de esu ovorum butiri casei et aliorum lacticiniorum et carnium
Et de ingrediendo monasteria monialium pro mulieribus tantum
Et cum derogatione cancellarie apostolice etiam in contrarium editarum
Et quod presens indultum duret ad vitam oratorum et sola signatura sufficiat
Et quod unum transumptum fieri detur que pro singulis oratoribus fieri possint

Fiat ut petitur. I.

Cesenat.

Jo. Vero.

Ego fr. Paulus Parmen.[is] M.[agiste]r gen.[era]lis manu pro.[pri]a concedo ut s.[upr]a q.[uo] ad mihi commissas moniales:

Indultum
[redacted] Summi Pontificis ad fauorem
Elisabeth et filiorum de Sancto Petro
ut possint absolui a quocumq: Confess:
etiam a casibus reseruatis, uota per:
mutare, carnes edere temporib. phibitis
cum alijs priuilegijs spiritualibus.

Phi. de Senis Correct.: